






P. e. 87

T. VII, 894.

III 4/10 J. V 16



7



Theses,

THEOLOGICÆ,  
ETHICÆ, POLI-  
TICÆ, ET JURIDICÆ,

Quas DEO bené volente in  
Inclyto Collegio CAS-  
SELLANO ad Dispu-  
tandum die 20.  
Octobris.

Proposuit

CHRISTOPHORUS PFLUG.



*Neubach*

CASSELLIS

Excudebat VVilhelmus VVesselius,  
ANNO 1599.





27

ETHIOPIA, POLY

ETHIOPIA, POLY

ETHIOPIA, POLY

ETHIOPIA, POLY

ETHIOPIA, POLY

ETHIOPIA, POLY

ETHIOPIA, POLY

ETHIOPIA, POLY

ETHIOPIA, POLY

ETHIOPIA, POLY

ETHIOPIA, POLY

ETHIOPIA, POLY

ETHIOPIA, POLY

ETHIOPIA, POLY

ETHIOPIA, POLY

ETHIOPIA, POLY

ETHIOPIA, POLY

ETHIOPIA, POLY

ETHIOPIA, POLY





CHRISTOPHORUS PFLUG,  
IOHANNI LAGONYCHO, HERMAN-  
NO THALMULLERO, BLASIO PEY-  
RASIO, & IOHANNI GOD-  
DÆO amicis suis;

S. P. D.

**Q**uemadmodum olim Apelles picturas suas  
universi populi oculis, ita ego, amici optimi,  
clarissimis ac politissimis iudiciis vestris  
theses hasce meas lubens merito subijcio:  
Neq; verò ita me fugio ut illas cum vitiosa  
Apellis crepida, nedum cum præstantissimis ejus picturis  
ineptè comparare ac conferre velim. Novi enim me DEI  
virtute, & ingenii mei ac iudicii imbecillitatem haud ægrè  
præ me fero. Veruntamen hoc seriò testor ac denuncio,  
me de arte quidem Apelli facile concedere, de amore vero  
ac studio inquirendæ veritatis ne latum etiam ( quod dici-  
tur ) unguem. Et nescio an hoc majus veri rectiq; studium  
in me situm est, quod ille in umbris tantum ac imaginibus  
rerum, ego vero in maximis rerum maximarum versor ar-  
gumentis. Quapropter vos rogo, viri & amici optimi,  
ut theses has meas diligenter considerare & errores in illis  
( qui procul dubio multi sunt ) deprehensos, non modo  
ingenuè indicare verùm etiam iudicii vestri lima audacter  
corrigere velitis. Æquo enim animo veritati concedam,  
imo in eam concedam totus, victor ( nisi me animus fal-  
lit ) magis quam victus. Bene valetè, viri & amici opti-  
mi, & me, quod facitis, amate plurimum. Cassellis  
Non. Octob. Anno cio. 15. 16.

A 2

The-



Theses  
Theologicae, Ethicae, Politicae & Juridicae.



<sup>1.</sup> *Ara scriptura in Theologicis, Ethicis, Politicis, Physicis & Historicis rebus versatur.*

2. *Quo igitur modo artem inde unam ac simplicem constitues?*

3. *Ergo ne omnes illas artes, scilicet Theologiam, Ethicam, Politicam, & Physicam, ex sacris literis conformem? An quasdam tantum? Nec omnes, nec quasdam, sed unicam Theologiam tantum.*

4. *Erit autem illa nihil aliud quam Ars adipiscendi vitam aeternam. Ioh. 17. vers. 3.*

5. *Ethica Theologiae ordine prior est. Haec enim de quodam, illa de omni bono tractat.*

6. *Præcepta Ethica imprimis ex sacris literis, tum etiam ex Christianorum & Ethnicorum, qui saniores fuerunt, philosophorum scriptis rectè peti possunt.*

7. *Quod autem sacris literis consentaneum non est, illud ne Ethicum quidem censeari debet.*

8. *Est autem Ethica ars beatitudinis.*

9. *Beatitudo vero est perfectio & veluti corpus boni.*

10. *Bonum est quod hominem bono aliquo afficit.*

11. *Estq; totius vel partis. Totius quod totum, ut, Salus aeterna; Partis, quod partem hominis beat.*

12. *Estq; animi vel corporis.*

13. *Animi quod animum bonum reddit. Estq; mentis vel voluntatis.*

14. *Mentis quod mentem bonam efficit: Et dicitur Ars; quæ est præceptorum utilem vitæ finem habentium scientia.*

15. *Voluntatis, quod voluntatem moderatur. Et dicitur Mos: quæ est habitus cum recta ratione aliquid agendi.*

16. *Be-*



16. Bonum corporis est quod corpus bono aliquo exornat: id vel totum vel in parte. Totum, ut sanitas, pulchritudo, robor, tactus præstantia, &c. In parte, ut in manibus vis, in pedibus celeritas, in oculo visus, in palatu gustus, in naso olfactus, in auribus auditus præstantia &c.

17. Bona, quæ dicunt, fortuna, in bonis vix numeranda sunt. Sunt enim boni partim adminicula, partim effecta, partim adjuncta. Hinc illud quod vulgò fertur, quisque suæ fortunæ faber.

18. Subiectum Ethices internum sunt præcepta de beatitudine: Externum vero civitas, non homo. Singuli enim homines beati esse non possunt, omnes possunt.

19. Politica est ars benè gubernandi civitatem.

20. Civitas est cætus Juris communione sociatus.

21. Quo autem major ac melior erit inter cives juris communio, hoc civitas erit conjunctior, florentior, firmitior ac diuturnior.

22. Major autem erit quò plura, melior quò præstantiora jura inter cives communia fuerint.

23. Ut autem juris communio civitatem constituit & constitutam omnibus tuetur modis & bonis exornat, ita ejus proprietates eam mirum in modum labefactat & tandem evertit.

24. Quo autem major vel minor est Juris illa proprietates, hoc civitas interim magis, interim minus labefactatur, & modo citius modo tardius evertitur.

25. Licet autem magna & imprimis periculosa sit fori atq; imperii proprietates & inequalitas, nulla tamen major ac perniciosior est, quam juris religionis. Quod malum si civitatem invaserit, illam labefactet, dissolvat, evertat denique necesse est.

26. Ergo benè constituta Respublica & civitates semper sibi in eos gravissimè animadvertendum esse censuerunt, qui vetera & avita sacra negligere, vel nova & peregrina introducere non dubitaverunt. Huc nempe spectant ac pertinent illa cruenta & infames pontificiorum quorundam inquisitiones vel potius cædes.

27. Labefactato jure Religionis, jus etiam majestatis sive imperii



imminuitur. Vix enim est ut qui alienum vel alio saltem modo Deum colant, eundem magistratum vel certè eodem amore & studio complectantur, observent ac venerentur.

28. Jus vero privatum, Publica auctoritate, quàm illud maximè nititur ac sustinetur, diminutâ, quomodo vires suas exerat!

29. Ex his argumentis 1. colligo; Rempublicam, nisi Religionis in ea floruerit communio & unitas, semper afflictam, semper perturbatam neq; unquam beatam & felicem fore.

30. Deinde Viro Principi juris & præsertim publici cognitione nihil prius & antiquius esse debere.

31. Dixi, sed pingui admodum Minerva, quid sit civitas; nunc quit sed benè gubernare paucis explicabo.

32. Est autem benè gubernare in eo summopere elaborare ut civitas omnibus bonis affluat, hoc est, ut beata sit.

33. Erit autem civitas beata, si benè morata, si docta, & industria, si denique sana, pulcra ac robusta fuerit.

34. Erunt autem proinde ut bonorum sic & curarum gradus; Et summum quidem tenebit cura morum, medium artium, ultimum corporis.

35. Benè autem morata evadet civitas principis viri partim imperio, partim exemplo.

36. Praclarè enim Paternalis; Facere rectè cives suos Princeps optimus faciendo docet; cumque sit imperio maximus, exemplo major est.

37. Docta autem & industria erit, si non tantum in eâ multi omnium artium docti & periti fuerint, verum etiam si unusquisque eorum suo officio rectè ac diligenter fungetur.

38. Videat igitur ante omnia illius Reipublicæ moderator ut doctis & industriis hominibus abundet; Deinde ut quisque suo munere rectè fungatur curet sedulo.

39. Affluet autem & florebit ejusmodi hominibus respublica, si ipse Princeps non tantum doctus, verum etiam doctorum & industriorum hominum fautor ac protector fuerit magnificus.

40. Inter



40. *Inter est enim Reipublica quod usu necessarium & dignitate eminere, utilitatemque auctoritate muniri. Paterculus.*
41. *Ipsi vero artium doctores & artifices omnes procul omni dubio officio suo recte fungentur, si rector ac gubernator Reipublice Theologum templo, Jurisprudentem foro, Senatorem curia, Philosophum Schola, Artificem officina, denique unumquemque civium regionibus ac finibus suis circumscripserit.*
42. *Nihil enim (ut quam eleganter Aristoteles 1. Pol. cap. 2. ait) tale quid natura efficit, quale fabri ferrarii, gladium Delphicum, ob ferri inopiam. Sed singula ad singulos usus procreat. Sic enim absolutissimum ac perfectissimum fuerit unum quodque instrumentum, si non multis operibus sed uni inserviat.*
43. *Corporis denique bonis civitas ornata erit ac decora, cum multis aliis rationibus, tum praesertim si diligens cura puerilis educationis omnisque generis corporis exercitii utilis & praeclari agetur. Huc pertinet Plutarchi liber de educatione puerorum. Huo etiam spectat universus campus Martius.*
44. *His, opinor, artibus & paratur & conservatur omnis imperii felicitas. Recte enim Salustius, Imperium facile illis artibus retinetur, quibus initio partum est. Verum ubi pro labore desidia pro continentia & aequitate libido atque superbia invasere, fortuna simul cum moribus immutatur.*
45. *Cum juris communitio unicum unicum sit, quod civitatem constringat & contineat, dubium non est quin artis legitima diligens in Repub. cura & ratio habenda sit.*
46. *Ars autem juris in juris nostri libris nec constituta nec definita est.*
47. *Institutiones tamen juris instar artis habent, adeo ut si quis eas juris artem dixerit, non male prorsus, meo animo, dixerit.*
48. *Nihil enim aliud sunt, quam eorum, quae de jure in digestis, codice aliisque juris libris dicuntur, legitima collectio.*
49. *Quemadmodum autem praecepta & praeceptiones sic & instituta, & institutiones dicimus. Sed quia institutionum vocabulum elegantius-*



significantius, & hoc in genere usitatus est, existimo Justinianum hoc juris compendium institutiones potius, quam instituta appellare voluisse.

*vide Wesf. in π. f. jūst. q. jure. 2. 14*  
50. Jus autem est ars boni & equi.  
51. Jus in hac definitione non significat artem juris, sed id in quo juris ars versatur; proprium enim hujus artis definitum nullum habemus.  
52. Ars verò hoc in loco non est juris praeceptorum legitima dispositio, sed tantum praeceptionem, definitionem, regulam sive positionem denotat.

53. Bonum deniq; & equum idem quod justum est; sic enim sapius Cicero virum justum bonum, & ipsam justitiam bonitatem appellat.

54. Juris derivatio duplex est, nominis & rei, illa grammaticorum, haec jurisconsultorum.

55. Nominis rationem apud Festum legimus, qui jus à jussu deducit. Quomodo hoc? Nempe ab initio rerum imperium penes reges fuit, quorum jussus jus erat.

56. Rei derivationem apud Ulpianum videre est, qui juris nomen, hoc est, ipsum jus (sic enim nomen Romanum, nomen Latinum pro ipsis Romanis & Latinis apud Ciceronem, Livium aliosq; bonos authores usurpatum in venies.) à justitia appellatum esse vult: Et rectè.

57. Jus enim in justitia veluti in forma & sine suo consistit: ut non immerito Isidorus justitiam, quasi quae jus sistat, vel in qua Juris status consistat, dictam censeat.

58. Ejusmodi vocabulorum derivationes non tam ex literis & Syllabis, quam ex ipsarum rerum natura depromptae, crebrae sunt apud juris nostri conditores. Nec mirum: Stoici enim maxima ex parte fuerunt, qui quam solliciti fuerint in vocabulis, naturam rei bene significantibus, inquirendis vel ex eo patet quod Cicero illos architectos vocabulorum appellat. Hanc derivationem juris consultorum, quia non intellexit Valla, eam sapius ineptissime derisit, ipse risu dignissimus.

59. Est autem jus publicum vel privatum. Publicum quod ad statum Reipub. spectat: Estq; divinum vel humanum, Divinum quod ad Dei cultum; Humanum quod ad Magistratus sive imperii rationem pertinet.

60. Pri-



60. Privatum quod ad singulorum utilitatem spectat. Idq<sup>3</sup> partim ex natura, partim ex civilis rationis fonte effluit.

61. An verò jus publicum ex eodem oriatur fonte quo jus privatum queritur? Non oriri mihi persuasum est.

62. Nec tamen ideo omne jus privatum sive civile ad haec tria juris capita nempe natura gentium & civilis referri potest. Est enim jus proprium Romanorum sive Quiritium, quale patriae potestatis, Institut. de pat. pot. § 2. Hinc etiam illa actio l. 1. §. 1. ff. de rei vindicatione qua liber homo his verbis vindicatur, hunc hominem ex jure Quiritium vel Romanorum meum esse ajo: Jure enim civili liber homo vindicari non potest.

63. Juris praecipuum legitimum unum tantum est, scilicet unicuiq<sup>3</sup> suum tribuere. Reliqua duo, quae dicuntur, juris praecipua, ad artem juris non pertinent, ideoq<sup>3</sup> opinor in justitiae definitione legitimi illius praecipui ratio tantum habita est.

64. Jus tantum consensus constituit. Ergo jus scribas an non scribas ad naturam atq<sup>3</sup> essentiam ejus parum pertinebit.

65. Hujus juris & finis & forma est Justitia.

66. Est autem Justitia constans & perpetua voluntas, hoc est, virtus unicuiq<sup>3</sup> suum tribuendi. Sic Cicero virtutem definit, constantem & perpetuam bene agendi rationem.

67. Qui autem vocabulum vel constans vel perpetua in definitione justitiae superfluum esse existimant latinae linguae vim ac proprietatem non satis intelligunt. Et si tò constans idem significat quod perpetuum, cur perpetuam constantiam & constantiae perpetuitatem dicimus?

68. Dicitur in definitione jus suum unicuiq<sup>3</sup> tribuendi, hoc est, Deo, Magistratui, civibus, peregrinis, singulis deniq<sup>3</sup> hominibus.

69. Et hoc est quod Aristoteles justitiam vocat ἀλλότριον τι, id est, alienum quid. Justitia enim ut Cicero secundo de Repub. ait, foras spectat & projecta tota est atq<sup>3</sup> eminent; & idem alio in loco ait; Justitia praeter ceteras virtutes se ad alienas utilitates porrigit atq<sup>3</sup> explicat. Hoc autem in loco, quid sit foras spectare, quid projectam esse, quid se porrigere atq<sup>3</sup> explicare, is demum intelliget, qui, quid Maniana olim aedificia fuerint, intelligit.


70. Esse-



70. *Effectum legitima scientia vel certe adjunctum est prudentia juris.*
71. *Rectè ergo Ulpianus jurisprudentia descriptionem post juris præceptorum traditionem collocavit: Quod boni institutionis conditores nec satis attenderunt, nec secuti sunt.*
72. *Est autem jurisprudentia divinarum & humanarum rerum notitia justis atq; injustis scientia.*
73. *Errant primò qui juris artem hoc in loco definiri existimant.*
74. *Errant quoque qui verbum divinarum aliter quam de jure publico eoq; divino, & tò humanarum non nisi de privato jure interpretantur.*
75. *Falluntur etiam qui duplicem hinc jurisprudentia definitionem tradi existimant. Etenim prima ejus pars de materia, altera de forma ejus loquitur.*
76. *Corollarii loco adjicio; 1. Legem Tribuniciam, qua reges exacti dicuntur, nullam fuisse. Neq; sane hoc velle videtur Pomponius l. 2. π. De Orig. juris.*
77. *2. Non omne jus in Justinianeis libris comprehensum jus scriptum esse.*
78. *3. juris studioso Dialectica cognitionem prope necessariam esse. Dialectica enim est ars veri. Omne autem jus etiam verum. Ergo, opinor, verum pro justo & veritas pro ipsa justitiâ sæpius à Cicerone, Livio & aliis bonis authoribus usurpatur.*













up 19 matt dag fol 20 januar 10 6. 43  
inc 18. 15

AB42 15  
18, 10

ULB Halle 3  
002 729 741  


S. 6.

WA

Rehe ✓






PER DISCREPANSIAS ADYRES ANNOS RUS  
M GRUATIONIS ET GRUATIONIS.  
MUR IN ETERNUM IN CONSPERTU DEI.  
DIDAM ET VERITATEM RUIS QUIS RE  
SIC PSALMUM DICAM NOMINI TMO  
SECUHI: UT REDAM UOTA MEA DE DIE





79

16

Theſes,  
**THEOLOGICÆ,  
ETHICÆ, POLI-  
TICÆ, ET JURIDICÆ,**  
Quas DEO bené volente in  
Inclyto Collegio CAS-  
SELLANO ad Dispu-  
tandum die 20.  
Octobris.  
Propoſuit  
**CHRISTOPHORUS PFLUG.**  
  
C A S S E L L I S  
Excudebat VVilhelmus VVeſſelius,  
ANNO 1 5 9 9.

*Neuberg*

